Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Claudus

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

minum genere. I. *Bene & liberaliter dicis, & nobis omnino ſic placet. Eluamur.*

SENTENTIA.

De ſpiritualibus carnaliter iudicant carnales.

CLAVDVS. *Actor.3.*

ARGVMENTVM.

Claudum ſanant Petrus & Ioannes. Deinde concurſu facto populi, Petrus ad populū de Ieſu (in cuius nomine fuerit ſanatus ille) uerba facit. Hic ſuperueniunt ſectæ doctorū, & Apoſtolos in uincula dant.

Claudus, Petrus & Ioannes, Populares, Sacerdotes & Antiſtites fani, & Sadducæi.

R*Eſpicite hunc miſerum claudum, uiri optimi, quem mater claudum peperit, ita ut nunquam ſeſe pedibus potuerit ſuſtinere.* Date mihi aliquid honoris & amoris Dei gratia, *ut uobis* Deus ſe *ſe uiciſsim benignum præbeat.* P. *Aſpice nos.*[a] *Neque argentum mihi, neq; aurum eſt: ſed quod habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* C. *O mirum miraculum. ut mihi roborati ſunt pedes? ut nunc firmiter incedo? O quàm dulce eſt, conſequutum eſſe bona, quibus carueris? Ago tibi gratias Deus optime maxime, cuius tanto*

[a] ...anc apo-...orū pau-...atem ani...duertant...am ſucceſſores.

ſum

ſum beneficio ſanatus. Vah quàm iuuat ingredi et ſalire? PO. Non'ne hic eſt mendicus ille claudus, qui ſolebat pro foribus templi ſedens mendicare? ALIVS. Planè is eſt. nec poſſum ſatis mirari, hunc tam expeditè nunc ingredi, qui antea loco ſe mouere non poſſet. PO. Videor mihi ſomniare. Subſequamur eum: ingreditur in porticum Solomonis. PET. Quanta huc concurrit multitudo? Quid hoc admiramini, Iſraelitæ, aut quid nos intuemini, quaſi priuatis uiribus, aut pietate effecerimus ut hic incederet? Deus Abrahami, & Iſaaci, & Iacobi, patrum noſtrorum, illuſtrauit puerum ſuum Ieſum, quem uos in conſpectu Pilati adductum repudiaſtis, cum ille abſoluendum iudicaſſet. At uos ſancto & innocente repudiato, petijſtis hominem homicidam uobis condonari, & uitæ authorem occidiſtis, quem Deus à mortuis excitauit. Cuius nos teſtes ſumus: eiusq; nominis fiducia hic quem uidetis & noſtis, corroboratus eſt, & illius confidentia integerrimam ualetudinem, in ueſtro omnium conſpectu, conſequutus. Et nunc fratres, ſcio uos [b] per imprudentiam feciſſe, ut etiam ueſtros principes: ſed Deus, quæ tot ſuorum uatum uoce prædixerat paſſurũ eſſe Chriſtum, ea hoc modo perfecit. Quamobrem [c] reuertimini ad ſanitatem, ut deleantur ueſtra peccata, donec recreationis tempora ueniant à Domino, cum prænunciatum uobis Ieſum Chriſtum mittet: quem

oportet

b Homin
peccata
us pro ſu
pientia c
uertit in
num.

c Per u
correctio
obtinetu
letio pec
torum.

oportet cœlo contineri, uſque ad tempora inſtaurationis omnium, quæ Deus tot ſuorum ſanctorum uoce uatum iam olim prædixit. Moſes enim maioribus noſtris ita dixit: Vatem uobis ſuſcitabit Dominus Deus ueſter ex ueſtra conſanguinitate, mei ſimilem: ei parebitis ad omnia quæ uobis dicet. Quòd ſi quis uati illi dicto audiens non fuerit, is ex numero hominum tolletur. Eodem modo tam multi uates, qui à Samuele deinceps fuerunt, qui hæc tempora prædixerunt, & tanto antè denunciauerunt. Vos eſtis ex uatibus orti, & in eo fœdere comprehenſi, quod percuſsit Deus cum maioribus noſtris, cum diceret Abrahamo, per eius ſemen felicitatem conſequuturas omnes orbis terrarū nationes. Ad uos primùm Deus ſuſcitatum puerum ſuum Ieſum miſit, c qui uobis felicitatem afferret, ſi modo ueſtrûm unuſquiſq; à ſuis uitijs deſciſceret.

Vt à Christo felicitatē consequare, discēdum est à uitijs.

SAC. Enimuerò iam ferendum non uidetur, tantam eis licentiam dari, ut populum publicè doceant. Nam quid futurum eſt. SAD. Quid? niſi ut nobis relictis, omnes ad eos tranſeant? Nam quòd reſurrectionem mortuorū per neſcio quem Ieſum futuram prædicant, facilè animos imperitæ multitudinis in ſuam ſententiam pertrahunt. AN. Itaq; maturè occurrendum huic malo eſt. Comprehendite eos, ſatellites, conijcite hos nugatores in uincula. Hac illîc nocte garriant, cras nobiſcum ſeriò diſputaturi. Non iam cum indoctis rationem

tionem

tionem habebũt, quos poßint facilè ſeducere: ad pontifices eis, & principes, & ſenatores, & ſcribas ueniendum erit, qui eorum argutias uehementius refutabunt. Nam plebem quidẽ habent ad omnia ſequacẽ.

SENTENTIA.

Chriſti nomen eſt omnipotens. Veritati ſolent inuidere & aduerſari docti huius mũdi.

PRIMATES. *Actor. 4.*

ARGVMENTVM.

Petrus & Ioannes de ſanato claudo apud primores cauſam dicunt: & illis interdicentibus ne deinceps Ieſum doceant, obtemperaturos negant.

Senatores, Petrus, & Ioannes,
Primates, Annas,
Caiphas.

QVa'nam poteſtate, & cuius nomine hoc feciſtis? PET. *Si nos hodie de collato in hominem infirmum beneficio interrogamur, principes populi, & Iſraelitarum ſenatores, qua'nam re ſanatus ſit: hoc uobis omnibus, cunctoq; Iſraelitarum populo notum eſſe uolumus, ſanatum eſſe in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem à uobis crucifixum Deus à mortuis excitauit. Per eum hic aſtat in ueſtro conſpectu ſanus. Hic eſt lapis à uobis ædificantibus reiectus, qui adhibitus eſt ad caput anguli: nec*